



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXVII. Vtrum intentio habitualis bona, vel mala, conferat aliquid ad
meritum, vel demeritum actuum deinde subsequentium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

& præmouente vero suo ultimo fine, vt dictum est supra, ideoque amissa eius spe, prædicuntur vires bene operandi, & confluit sentina omnium vitiorum, vt dictum est cum D. Thoma q. 35. de Virt. Theol. Quæ ratio viget multo magis respectu Sanctissimorum hominum, utpote adhaerentium multo magis summo suo bono, quod est Deus, estque simul ipsorum beatitudo, & felicitas. Quapropter, cum dicitur viros Sanctos quærere gloriam Dei, & utilitatem atque salutem æternam proximorum absque intuitu mercedis, & cum dilatione propriæ beatitudinis, aut etiam cum periculo eiusdem amittendæ; accipiendum id est de contemptu aliorum præmiorum, & mercedis distinctæ ab ipso Deo, & dilatione propriæ beatitudinis compenlanda per augmentum eiusdem, ac demum de periculo amittendi imminenti ex causis secundis secundum se, sed superando per gratiam Dei eò efficacius opitulatur.



QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum intentio habitualis bona, vel mala conferat aliquid ad meritum, vel demeritum actuum deinde subsequens?

VIDETUR conferre. Quia intentio habitualis, seu aliquando habita, & non retractata, ideoque moraliter perseverans, perinde æstimatur moraliter, atque si esset physice præsens. Intentio autem boni, & malis actualiter præsens confert plurimum ad meritum, & demeritum, quia confert plurimum ad bonitatem & malitiam operis, immò est tota ratio bonitatis, & malitiæ conuenientis vnicuique actui, atque operi externo, vt dictum est supra, atque ratio meriti, & demeriti fundatur præcipue, vel vnicè in bonitate & malitia operis. Ergo intentio habitualis bona, vel mala confert plurimum ad meritum, & demeritum actuum subsequens. Confirmatur, quia alioquin perperam per interualla temporum viri pii referrent, vti solent facere, ad maiorem gloriam Dei, aliosque honestos fines opera subsequens horæ sequentis, vel diei, vel mensis, vel anni.

Sed contra est. Quia si intentio habitualiter tantum perseverans conferre aliquid posset ad rationem meriti, vel demeriti actuum deinde subsequens, eam in illis, vel augendo, vel simpliciter inducendo, intentio bona, vel mala concepta initio vitæ, & referens in finem bonum, vel malum actus omnes, & omnia opera deinde subsequens per totam vitam, sufficeret se sola ad augendam, vel ad inducendam absolute rationem meriti, vel demeriti in omnibus totius vitæ, & cumque longæ actibus, & operibus, dummodo nunquam deinde retractaretur. Quod tamen videtur esse absurdum, & si crederetur esse verum, induceret in animos hominum summam negligentiam eleuandi assidue mentem, & intentionem ad finem honestum, ac præstantissimum.

Respondetur. Finis non aliter conferre potest ad meritum, & demeritum cuiusque actus, & operis, nisi quatenus confert ad bonitatem, & malitiam eius. Ad bonitatem autem, & malitiam nihil conferre potest, nisi quatenus intenditur à voluntate, ita vt pro modo intentionis sit modus bonitatis, & malitiæ in vnoquoque actu, vt liquet ex quæst. 25. & 26. necnon

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

ex 28. Quapropter, duplex distinguenda est perseverantia habitualis intentionis præexistentis, seu bonæ, seu malæ. Prior modus perseverandi est per solam non retractationem intentionis præhabitæ absque vlla deinde renouatione, seu repetitione ipsius explicita, vel implicita, atque ideo absque vlla causalitate eius respectu actuum deinde subsequens. Atque intentio hoc præcisè modo perseverans habitualiter nihil confert ad rationem meriti, & demeriti augendam, vel absolute inducendam in actibus subsequens, quia finis intentionis taliter perseverantis non habet purè concomitanter respectu actuum subsequens, nec vllam in illos causalitatem exercet, vt supponitur. Finis autem eatenus præcisè confert ad bonitatem, & malitiam cuiusque actus, & operis, quatenus est causa, & ratio volendi ea, quæ sunt ad finem, vt dictum est in iisdem illis qq. Alter modus perseverandi habitualiter in intentione præconcepta est cum renouatione, & repetitione eius saltem implicita, quoties occurrit noua oportunitas operandi: ita vt dicatur, Volo hoc facere, vt promoueam quod cœpi; vt perueniam ad finem præintendum, vt expleam priorem meam intentionem, vel alio simili, ac æquivalenti modo. Atque hic modus perseverantiæ habitualis in intentione præhabitæ confert plurimum ad meritum, & demeritum actuum subsequens. Quia videlicet in hoc euentu finis intentionis præhabitæ exercet causalitatem in actus subsequens, ideoque confert illis bonitatem, & malitiam peculiarem, & consequenter rationem peculiarem meriti, & demeriti. Distinctio ista, & vtraque pars determinationis illi adiunctæ est conformis doctrinæ D. Thomæ q. 19. art. 8. Ex eadem distinctione patet ad rationes dubitandi. Prior enim pro parte affirmatiua solum conuincit de intentione præhabitæ exercente causalitatem in actus elicitos pro tempore sequenti. Quia quæ nullam exercet causalitatem, non perinde se habet, atque intentio actualiter præsens physice, quandoquidem hæc exercet veram causalitatem in actum, & opus subsequens. Posterior verò ratio pro parte negatiua solum conuincit de intentione præhabitæ nunquam deinde renouata, ne quidem implicite, & æquivalente. Nullum autem absurdum, nullumque inconueniens est intentionem præhabitam toties aliquo modo repetitam, ac renouatam, quoties occurrit noua occasio operandi, semper adiungere operi, seu actui interno peculiarem bonitatem, aut malitiam, & consequenter peculiarem rationem meriti, ac demeriti, vtrumque longum tempus decurrat post talē intentionem primitus præhabitam. Expositio ista intentionis duplici eo modo perseverantis habitualiter promouebitur plusculum cum maiori claritate quæst. 15. de Sacramentis.



QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum actiones externæ, & actus interni efficaciter, & omninò determinatè imperati superaddant augmentum aliquod meriti?



VIDETUR superaddere. 1. Quia quod auget bonitatem, & malitiam actus, eo ipso auget tantundem rationem meriti, & demeriti, utpote fundati in bonitate, & malitia operis, vt dictum est supra. Actio autem exterior bona, & mala auget bonitatem, & malitiam actus interni, vt colligitur ex verbis Augustini lib. 13. de Trinit.

L 1 2 cap.